Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8340
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



Sic erit verbum meum quod egredietur de ore meo: non revertetur ad me vacuum, sed faciet quecumque volui, et prosperabitur in his ad quæ misit illud. Sicut pastor gregem suum pascet: in brachio suo congregabit agnos, et in sinu suo levabit eos: dominus deus noster.

Ecce ait dominus: Ego ante te ibo, et gloriosos terræ humiliabo. Portas æreas conteram, et vectes ferreos confringam: et dabo tibi thesauros absconditos, et archana secretorum: ut scias quia ego dominus qui voco nomen tuum deus israhel: propter servum meum iacob, et electum meum. Et vocavi te nomine tuo: assimilavi te, et non cognovisti me. Ego dominus, et non est amplius. Extra me non est deus. Accinxi te, et non cognovisti me: ut sciant hi qui ab ortu solis, et qui ab occidente quoniam absque me non est deus. Ego dominus et non alter: formans lucem, et creans tenebras: faciens pacem, et creans malum. Ego dominus faciens omnia hæc. Rorate cæli desuper, et nubes pluant justum: aperiatur terra, et germinet salvatorem: et justitia oriatur simul. Ego dominus creavi eum.

Lectio ad Thessalonicenses.

Fratres: Rogamus vos per adventum domini nostri iesu christi, et nostræ congregationis in ipsum: ut non cito moveamini a vestro sensu, neque terreamini neque per spiritum neque per sermonem neque per epistolam tanquam per nos missam, quasi instet dies domini. Ne quis vos seducat ullo modo: quoniam nisi venerit discessio primum, et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adversatur et extollitur super omne quod dicitur deus, aut quod